

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dispvtatio Secvnda Eaqve Periodica Sacra Scriptvra

Dieterich, Martin

Francofvrti Ad Viadrvm, [1745?]

VD18 13450646

Cap. VII. De fide divina, qua creditur, S. Scripturam divinitus inspiratam esse.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

De fide divina, qua creditur, S. Scripturam divinitus
inspiratam esse.

§. I.

Quanquam vero argumenta allata, si accurate expéndantur, et junctim, uti par est, sumantur, ita comparata sunt, ut demonstrationis naturam fere induant: ad fidem tamen divinam, omnemque oppositi formidinem excludentem, generandam ea non sufficere, libentissime concedimus. Atque adeo dispiciendum jam est, qua ratione firmus et inconcussus assensus producatur. Ante omnia nemo in dubium vocabit, verbis scripturae conceptus et cogitationes, quae Prophetis et Apostolis de rebus divinis et celestibus insederunt, indicari. Eum enim in finem publici juris fiunt libri, ut auctorum mentem et sententiam cognoscamus. Quando itaque volumina sacra attente legimus atque audimus, eadem sensim repræsentatio rerum propositarum, quae in Viris *Georγeouσis* fuit, in nobis existit, arque eatenus verbum divinum efficaciam hanc, quam naturalem vocant, communem habet cum quovis alio scripto mere humano. Quoniam vero complura in sacris literis continentur, quae si concursu Dei supernaturali destruerentur, ulterius intellectum movere non possunt, quam ad simplicem rerum verbis significatarum perceptionem: divinæ sapientiae et misericordiae placuit, ad superanda, quae respectu intellectus suboriri solent præjudicia, voluntatem, quae conditionem intellectus natura corrupti sequitur, et ad spiritualia mortua est, seu ab illis abalienata Eph. II - 1. Col. II - 13. singulari prorsus et supernaturali virtute verbi, quod inseparabilem habet comitem Spiritum Sanctum, ad certum et solidum assensum, doctrinis rationem sibi relictam transcendentibus præbendum, determinare. Spiritus Sanctus, qui in animis hominum per verbum efficax est, inquit Johannes I. Ep. V - 6. restatur, spiritum, (verbum spirituale, quod a Spiritu S. proficiscitur, spiritualia tractat, et nos spirituales reddit) veritatem esse. Per spiritum autem eloqua Domini intelligi, ex verbis Christi patet: *verba, quae loquor, spiritus*

spiritus sunt et vita. Joh. VI-63. Et Paulus hilari et grato animo memorat, quod auditores sui λόγον ἀνοίγει, sermonem a se viva voce praedicatum audituque perceptum, acceperint non ut sermonem hominum, sed sic ut revera est, ut Dei sermonem. Addit autem, id inde factum esse, quod Deus in ipsis, qui credunt, ἐπεργάμενος efficaciter operatus fuerit, seu quod supernaturaliter concurrendo cum verbo testatus fuerit, hoc esse verbum suum, hanc doctrinam a se promanasse, atque animos eorum ad credendum fide divina illi, tanquam Dei verbo, moverit. I. Thess. II-13. Idem Apostolus in eandem sententiam scribit: *eiusmodi oratione ac praedicatione usus sum, quae non persuasoriis humanae sapientiae verbis, sed spirituali potentique demonstratione confaret, ne fides vestra in hominum sapientia, sed in Dei potentia sita foret.* I. Cor. II-4, 5. Nimirum doctrina a Paulo tradita, cum auditores et lectors non pelliceret ad assensum per argumenta ex sapientia humana depromta: procreavit tamen in illis efficacem fidei assensum per potentiam Dei sibi conjunctam, et vim solidissimae demonstrationis praestitit, licet mysteriis inevidentibus plena esset secundum v. 8. Conf. Jo. Musaeus in introd. ad Theol. Revel. P. II. Cap. VI. §. 4. p. 475, 476.

§. II. Merentur hic legi exempla conversorum, in quibus Spiritus S. per verbum lucem quandam spiritualem accedit, et motus aliquos sanctos ad praestandum obsequium veritati cognitae operatus est. Sic Petri auditores animo compuncti ex Apostolis querunt: *quid agemus fratres?* Act. II-37. Philippus Eunuchum, quem de Jesu docuerat, his verbis alloquitur: *si toto animo credis, licet baptisari, cui respondet: credo Jesum Christum esse Dei Filium.* Act. VIII-35. s. Lydiae animum audita Pauli oratione Deus aperuit, ut attenderet ad ea, quae dicerentur, et converteretur. Act. XVI-14. s. Augustinus, in Manichaeorum haeresi volutatus per novem annorum spatium, et divina Ambrosii facundia et assidua sacrorum bibliorum lectione excitatus, ad frugem rediit. Qua ratione Christianus Gerson, Judaeus, lectione N. T. quod femina Christiana illi oppigneraverat, ad amplectenda sacra Christianorum impulsus sit, ipse in praefatione thesauri

talmudici recenset. Neque nostra aetate desunt, qui sacrae scripturae coelestem efficaciam singulari modo senserunt. Quando autem statuimus, fidem divinam de Georgie sacrarum literarum ex interno Spiritus Sancti testimonio oriri, non entusiasmum aliquem atque immediatam illuminationem intellectam volumus, sed supernaturalem vim et potentiam, ex liberima Dei ordinatione scripturae semper conjunctam, qualis in libris mere humanis non deprehenditur. *Christus quidem lux vera dicitur, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Joh. I-9. Verum scrupulus nobis facile eximetur, si meminerimus, mediate illud per verbum fieri, quod eam ob causam hominibus praedicatur. Rom. I-16. I. Cor. II-4, 5. Nec obstat, quod complures, qui verbum divinum legunt atque audiunt, hanc ejus vim non experiantur, adeoque de divina ejus origine non convincantur. Ratio enim est in promtu, quod non ea, qua decet, attentione scripturam tractent, nec animum a pervicaci malitia et pravis affectibus alienum secum afferant. Quando sol lucidissimos radios diffundit, et fenestra valvis obtegitur: splendorem ejus non cognosco. Si obiter margaritam orientalem et vulgarem aspicio: differentiam utriusque non animadverto, quae accuratius intuenti declarabitur. Quisquis es, collationem institue libri mere humani cum verbo divino, et videbis, quantum lupinis distent aera. Sane enim quibus argumentis olim adducti sunt auditores, ut sermoni Apostolorum fidem haberent, iisdem etiam rationibus hodie impellimur ad credendum eorum scriptis, propterea quod eadem, quae viva voce aliis tradita sunt, literarum monumentis consignarunt.

§. III. Dolendum autem est, in Ecclesiae Evangelicae externo coetu etiam frivulos rerum sacrarum censores inveniri, qui internum Spiritus Sancti testimonium de divina S. S. origine fculneum et fallax reputare non dubitant, causam interserentes, Muhammadanum interrogatum, cur Corano tantam auctoritatem tribuat, simili ratione respondere posse, se lectione, auditione et meditatione hujus libri admirandum in modum commoveri. Si enim hoc argumentum intercidit: actum est de fide

de fide simpliciorum, ut potè qui propter ingenium obtusum, solutiorem educationem et historiae veteris ignorantiam, miraculis, vaticiniis aliisque argumentis convinci nequeunt. Ambabus quidem manibus largimur, multos honorifice de sacro codice sentientes in testimonio Parentum, Praeceptorum et sacerdotum, acquiescere: attamen de omnibus et singulis ita judicare, arrogantiae significationem facheret. Experientia profecto testatur, plebejos, mediocri tantum notitia rerum divinarum instructos, majori interdum animi fiducia de sacra scriptura loqui, quam exercitatissimi Theologiae cultores praedicant, quod ipsum superstitioni et phantasiae promiscue adscribere, nefas foret. Aliud quiddam itaque adesse oportet, quod efficaciter animos hominum impellat, ad firmum assensum praebendum doctrinae in sacris literis traditae. Agnoscamus et veneramur singularem Spiritus Sancti operationem in apprehendendo Christi merito, nisi forte Christianorum nomen plane ejuravimus. Ecce ergo talem negabimus, in fide habenda iis voluminibus, quae illam ipsam doctrinam salutarem complectuntur. Quod pertinet ad jactatam istam convictionem Turcarum, eam negamus et pernegamus. Quomodo enim fieri potest, ut sanctissimus Deus nugis et mendaciis, qualia, vel ipsa ratione judge, in pestilentissimo libro leguntur, testimonium perhibeat. Quid multis? argumentis supra allatis sumnum probabilitatis gradum in aliis excitare possumus: solius vero Dei opus est, immediatam verbi divini inspirationem sine ulla dubitatione admittere.

§. IV. Quantumvis vero plena mentis convictio de divina S. S. inspiratione a sola Spiritus Sancti operatione dependeat: non mediocrem tamen exhibit usum argumenta, quae verbi divini *Geonvveusiar* humana fide agnoscendam seu credibilem declarant. Primus est, ut praejudicia removeantur, et liberiori animo de quaestione hac judicemus, secundus ut codicis sacri excellentiam quodammodo praegustemus, et praevia attenta lectione plerophoriam facilius nanciscamur. Atque ita patet, non esse exigendum ab iis, qui sacrarum literarum auctoritatem negant,

nigant, ut exspectent, donec Spiritus Sanctus in ipsorum cordibus de divina scripturae origine immediate testetur, sed proponenda illis sub initium argumenta fidem humanam gignentia, imo vero etiam in statu temptationis fidelibus ipsis, ad tollendas difficultates quasdam, tales rationes insinuandas, et perinde cum illis agendum esse, atque cum iis, qui rei hujus veritatem impugnant. Neque tamen non fatemur, fieri saepe, ut complures circumspeta auditione et lectione verbi divini a potestate Satanae ad Deum vivum convertantur, quibus scripturae immediata inspiratio explicata non fuit. Docent id exempla tot hominum et populorum, qui referentibus actis apostolicis primo auditu fidei scintillas conceperunt, docent hodieque per experientiam ii, qui aliquandiu operibus tenebrarum inquinati verbi divini virtute ad agnitionem veritatis pervenerunt. Docent evidentissima dicta, quae de efficacia voluminum sacrorum ad producendam in nobis fidem divinam eamque obsignandam testimonium perhibent. *Evangelium Christi*, inquit Paulus, est divina potentia omni fidenti, cum Graeco, tum Iudeo Rom. I-16. Egregium exemplum fidei humanae, quam subsecuta est divina, suppeditant nobis Samaritani illi, qui primo Christo crediderunt propter feminae cujusdam sermonem testificantis, eum sibi, quicquid ipsa fecisset, dixisse. Joh. IV-39. Atque haec erat fides humana. Deinde vero, cum ipsi illum vidissent atque audivissent, mulieri dicebant: *non amplius propter (solum) sermonem tuum credimus.* *Ipsi enim audivimus et scimus, hunc esse vere Servatorem illum mundi, Christum v. 42.* (Atque haec erat fides divina.)